

Ramus annotat, locum illum apud Aristotelem diligenter animadvertendum esse, qui sic habet: *Principia itaque unicujusque rei constituere, est experientia & usus.* Sic à *πολογικὴ ἔμπειρία*, astrologica experientia, astrologica scientia principium est. Similiter reliquarum omnium artium & disciplinarum experientia, ipsarum principium est. Itaque si usu percepta sint, & experimento cognita, quæ sunt in rebus, licebit hinc sanè demonstrationes facile promptèque exprimere. Etenim si nihil *ἢ τὴν ἰσοερίαν*, inquisitionem observationemque, omissum sit eorum, quæ certò ac verè rebus insunt, facile cujusque rei demonstrationem comperiemus. Hic, inquam, locus (sunt verba Rami) non negligenter legendus, sed diligenter attenteque cognoscendus. Procreatrix & parens omnium artium *ἔμπειρία ἢ ἰσοερία* est: verissimè dictum est. Porro inductio est mentis actio, quâ ex plurium observationum & experientiarum collectione universalis conclusio in intellectu efformatur, & velut regula quædam extruitur. Quatuor igitur sunt instrumenta inveniendarum & constituendarum disciplinarum, hoc ordine; *αἰσθησις, ἰσοερία, ἔμπειρία, ἐπαγωγή*. Sumamus exemplum. Est præceptum physicum; homo est animal rationale. Hoc à priscis sapientiæ conditoribus hunc in modum est inventum. Viderunt sapientes illi mira hominis effecta, & audiverunt ipsum disputantem, loquentem, & similia tractantem. Hoc idem observarunt. Sed quia dubitarunt, an omne individuum sic se habeat, in pluribus imò omnibus hoc observarunt. Hinc per inductionem ex pluribus observationibus & experientiis constituerunt primum hoc axioma, homo est animal; dehinc illud, est animal rationale.

3 *Methodus inventionis nihil importat in res, sed ex iis exportat omnem suam potestatem.*

Ratio dicta est in exegesi definitionis methodi: quia nimirum ordo in reb. est archetypus, at ordo instrumentalis est ectypus. Jam nihil debet esse in typo, quod non est in prototypo. Invenit autem philosophus res vel necessarias, vel contingentes. Necessariæ sunt, quæ ita sunt, ut immutabiliter sese habeant in naturâ suâ. Circa has videt philosophus sibi ita versandum, ut illas contempletur. Res contingentes sunt, quæ ita sunt, ut pendeant ab hominis operatione. Has philosophus sic considerandas